

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Adulacio at
cum fonte primo

Cito nobis placemus si inuenimus qui nos bonos uiros dicat, qui prudentes, qui sanctos. Non sumus modica laudacione contenti; quicquid in nos adulacio sine pudore conguessit, tanquam debitum prendimus. Optimos nos esse et sapientissimos affirmantibus assentimus cum sciamus sepe illos mentiri. Adeo quoque indulgemus nobis ut laudari uelimus in id cui contraria tamen maxime facimus.

Seneca LX. epistola.

Illud praecipue inpedit, quod cito nobis placemus; si inuenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, adgnosimus. Non sumus modica laudatione contenti: quidquid in nos adulatio sine pudore conguessit tanquam debitum prendimus. Optimos nos esse, sapientissimos affirmantibus adsentimur, cum sciamus illos saepe multa mentiri; adeoque indulgemus nobis ut laudari uelimus in id cui contraria cum maxime facimus.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 59.11 (L. Reynolds ed., vol.1, p.164, ll.16-23).